



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Baptiste Mantuani Bucolica// seu Adulescentia in decem
aeglogas diuisa//**

Baptista <Mantuanus>

Hagnoiae, 1517

VD16 S 7197

De Castitate

urn:nbn:de:bvb:12-bsb00004847-4

F. BAPTISTA MANTVANVS

ctora cogis; propter te quoties uiolata est iusticia; propter te Sycheus truncatur a fratre. Dido patitur exilium. Polydorus membratim secatur. Recte Thebanus Crates suas opes in caecum pelagus abiecti mersitque illas, ne mergentur ab illis. Hæc igitur e mentibus nostris extirpare oportet, & tanquam in domum suam introducenda est iusticia, ubi suas possit figere radices, & fructus afferre mirificos. ADRI. Nonne fuisse satius si diuinitas quas Thebanus ille philosophus in mare demersit pauperibus tribuisset? GI. Fuisse itaque melius sed forte metuebat & si pauperibus dedisset, illis accidisset quod ipse fugiebat.

ADRIA. Et forsitan hoc illi in mentem uenerat, sed quoniam circa illa que superius commemorauimus, omnem rem uersari perpendo, quomodo unumquedque illorum assequi possimus audire desydero. Et dabis ueniam, si quæ dicis tardius apprehendo, quum sim a teneris Mantuae nutritus, ubi hoc uitium a densioris cœli qualitate contraxi. GI. Tum cum Cicerone sentis, ut e dictis tuis perpendo. Refert enim, ni male memini, Thebanos fuisse ingenio pinguiores. Athenienses uero perspicaciores & acutiores extitisse. Iccirco quia crassus aer & pinguis erat thebis. Athenis uero rarius & subtilior apparebat. Sed hæc committamus, quod nunc instat agamus.

DE CASTITATE

Castitatem septem modis assequi poterimus, firmo inquam proposito, modo cibo, exercitio continuo, raro bonoque colloquio & consuetudine, sensuum continentia, premii futuri p̄meditatione, auxilio diuino. Septem haec arbitrio nostro percurramus, dicemusque non tam eloquenter quam sapienter, nam semper magis studi sapiens fieri quam eloquens, qui enim facunde dicunt suauiter, qui sapienter utiliter audiuntur. Sed primum modum arripiamus.

DE FIRMO PROPOSITO

Si quis quod facturus est prudenter agere uoluerit, circa quod faciendum est, tria considerabit. An illud inquit quod uoluit honestum sit an turpe, utile aut inutile, delectabile an non delectabile. Si res fuerit tammodo delectabilis ita quod honestate omni atque utilitate sit priuata, haec omnino fugienda est. In quo genere sunt lascivici cantus, & cythararum strepitus, qui infirmas iuuenium metes alliciunt. Sunt etiam in hoc genere saltationes & choreæ, & omnes corporis celebræ. Si uero res fuerit delectabilis & honesta apud omnes nationes non laudo, honestas enim non una est apud omnes, sed quod apud aliquos honestum videbitur apud nos erit turpe, uerbi gratia, apud Epicurum honestum erat miscerium uxoribus, & corporeas necessitates in propatulo & coram omnipotulo facere. Si quis igitur apud homines huiusmodi fuerit, uti hac honestate non debebit. Si uero tale honestum erit ut fidei christianæ non deroget, concedendum est, quemadmodum est uxori ducere, talibus se uestibus ornare, ut non solum utilitatibus corporeæ, sed etiam honesto cuidam decorum non luxurioso consideretur. Si uero haec tria simul in aliquo reperiantur, ita ut sit & delectabile & honestum & utile adhuc est cogitandum, cuius nam sit illa utilitas, an corporis & animæ, an utriusque. Si tantum corporis, turpe quidem erit christiano si fecerit. Si animæ toto co-